



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio IV. De principio productiuo Personarum Diuinarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

nem Spiritus Sancti, cum Patre ac Filio, ergo falsa est data responsio.

Respondeo distinguendo minorem, sed hic amor non præsupponit similitudinem intentionalem, & representativam Spiritus Sancti, nego, non præsupponit realem concedo, poterit ergo facere realem non ex propria ratione volitionis, quia ex se nunquam facit similitudinem, sed ratione naturæ in qua operatur.

Proprietates huius generationis.

Concludo cum Chrysostomo homilia 1. de incomprehensibili natura Dei, *Filium esse à Deo Patre immortali genitum novi, sed quemadmodum ignoro. Spiritum procedere ex eo scio, sed quemadmodum nescio.* Annoto autem generationis huius istas esse proprietates. Prima est quod Filius non similem habeat, sed eandem naturam Patris. Secunda quod Filius ipse maneat intra Patrem, & Pater intra Filium. Tertia quod generatio hæc, & natiuitas ab æterno ita sit, ut sit etiam perpetua; Filius enim Dei semper nascitur. Quarta quod Filius sit in ortu suo prorsus æqualis Patri; Vide Petavium lib. 5. cap. ultimo. Immerito autem ridebant Catholicos Ariani quod dicerent Patrem non esse suo Filio seniore, sed æquæum omnino, & in ipso eius ortu prorsus æqualem, quos merito confutat & convincit erroris turpissimi Athanasius, in orationibus contra illos quia etiam ipse Sol luminis sui quasi Pater, non fuit unquam sine lumine, quod etiam semper ex eo nascitur. Et sanè mirum est quod Deum homines insipientissimi putaverint esse posse sine sua sapientia, quæ est Filius Dei.

SECTIO IV.

De principio productivo personarum divinarum.

Potentia productiva datur in Deo.

Certum est primò admittendam necessariò esse in Deo potentiam productivam personarum, quia ubi est vera productio, & terminus productus, ibi debet esse principium productivum; illud autem est duplex, primò principium (quod,) deinde principium (quo) principium (quod) dicitur illud totum quod denominatur producere, & est tota persona producat, quia illa est quæ denominatur producat: principium (quo) est ratio ipsa formalis quæ immediatè concurret ad productionem & per quam persona constituitur producat, quemadmodum quando Sol illuminat medio lumine, lumen est principium (quo) illuminationis.

Intellectus & voluntates.

Certum est secundò, principium (quo) productivum personarum divinarum non esse ipsam naturam, sed intellectum & voluntatem. Quod contra Durandum certò docent omnes Theologi, & probant ex Scripturis ubi secunda persona dicitur ex ore altissimi prodire id est ab intellectu, dicitur Verbum & Sapientia, quod non ei convenit nisi quia per intellectum producat. Deinde Patrum sententia eadem est quos plurimos profert Suarez, disput. 2. sect. 2. Accedit ratio evidens quia si personæ immediatè procederent ex natura, non posset reddi ratio cur duæ tantum sint processiones, nec quare secunda persona sit Verbum & Filius, non autem Spiritus Sanctus: cur secunda persona prior origine sit quam tertia: Argumenta verò Durandi, vel nihil probant, vel æquè faciunt contra ipsum, cum aiunt Patres Filium oriri ex natura Patris, volunt duntaxat processionem eius non esse liberam, vel certè naturam esse principium radicale generationis.

Duplex controuersia.

His ita positis duplex circa principium istud immediatè productivum difficultas est, & utraque inter omnes Theologos celeberrima. Prima verum in-

tellectio (nam illa totus in Deo est intellectus, ut probatum alibi est) sit principium formale immediatè producat Verbum divinum, & volitio principium producat Spiritum Sanctum. Secunda, quarum rerum cognitio sit principium productivum Verbi, & quarum rerum volitio sit principium Spiritus Sancti, quod sectione sequenti explicandum erit nunc pro priori difficultate.

Prima dubitatio.

Ratio dubit. sanè gravissima est primò, quia principium (quo) productivum alicuius personæ debet distingui realiter à persona producta, quia non potest dari potentia, quæ producat Physicè se ipsam, alioqui præsupponeretur sibi ipsi & haberet relationem ad se ipsam: sed intellectio, & volitio, identificantur personis productis, ergo intellectio, & volitio non sunt principia Physicè productiva personarum divinarum. Maior (ut dixi) evidens est, quia tota ratio cur dicatur esse oppositio, & distinctio inter personas divinas, est quia una producat aliam, ergo inter principium producat, & terminum debet esse oppositio & distinctio; si enim sufficit distinctio virtualis, ut aliquid producat (ut quo) sufficit distinctio virtualis ut aliquid producat (ut quod,) nam omnes rationes quæ probant principium (quod) distingui, probant etiam distingui principium (quo) tam enim est oppositio inter principium (quo) & terminum, quam inter principium (quod,) & eundem terminum: Imò propter quod unumquodque tale, & illud magis, sed principium quod opponitur & distinguitur à termino, propter principium (quo) ergo principium (quo) magis distinguitur.

Secunda

Secundò quamvis intellectio identificetur filiationi potest esse principium realiter productivum filiationis, ergo quamvis intellectio identificetur paternitati potest esse principium realiter productivum Paternitatis.

Confirmat. non est maior ratio cur persona producta distinguatur à processione activa quam à principio productivo à quo debet oriri hæc productio, nam omnes rationes quæ probant terminum distingui à processione activa, probant etiam illum distingui à principio.

Tertia.

Tertiò, si sola intellectio est principium (quo) sequitur principium productivum ad intra non esse minus commune omnibus personis quam principium productivum ad extra, nam intellectio non est minus communis quam omnipotentia.

Neque dicas, intellectionem essentialem non esse principium (quo) sed intellectionem notionalem. Nam intellectio notionalis vel est actio intellectus distincta ab intellectione communi (ut voluit Scotus) & hoc ut absurdum ab omnibus reicitur vel significat intellectionem ipsam essentialem propterea propria unius personæ & hoc est intellectionem esse propriam, quia est propria. Deinde si intellectio essentialis fieri potest notionalis, & propria unius personæ, propterea connotat relationem, similiter potest omnipotentia fieri notionalis, & propria unius personæ, atque ita producat aliquid ad extra quod non sit commune omnibus personis. Denique si relatio non producit non apparet quomodo esse posset conditio, ut intellectio producat.

Quarta.

Quartò, actio productiva termini non minus producat à principio (quo) quam ipse terminus, sed generatio activa non producat ab intellectione, ergo intellectio non est principium (quo).

Non est sola relatio.

Dico primò, principium formale proximum productivum in divinis non est sola relatio personæ producentis contra Bonaventuram, Carthusianum, Henric. Herice disput. 13. num. 43. Martino. disput. 24. sect. 4. & 5.

Ratio

Prima ratio.

Ratio est primò, quia constat ex scripturis, & Patribus Verbum diuinum produci per intellectum, & Spiritum Sanctum produci per voluntatem, sed si sola relatio Patris immediate producat Filium, & sola relatio Spiritus producat Spiritum Sanctum, Verbum non procedit per intellectum, & Spiritus Sanctus non procedit per voluntatem, ergo, &c. Probatur minor, intellectio non potest esse principium Filij nisi proximum, vel remotum, si sola relatio concurrat, intellectio non est principium proximum, sed neque potest esse principium remotum, quod probo, ideò per te intellectio non potest esse principium proximum Filij, quia deberet distingui à Filio, sed neque minus debet distingui si sit principium remotum; tam enim implicat ut aliquid remotè se ipsum producat, quàm ut producat proximè, cum terminus æquè referatur ad principium remotum, quàm ad principium proximum. Ergo si non potest intellectio esse principium proximum neque poterit esse principium remotum.

Secunda ratio.

Secundò, quando scriptura & Concilia dicunt Filium produci per intellectionem non significant solam paternitatem oriri ab intellectione, sed si dicunt intellectionem esse principium tantum remotum, dicunt tantum quod Paternitas oritur ab intellectione, ergo non dicunt illam esse principium remotum. Probatur, si quando scriptura & Patres dicunt Filium esse per intellectum intelligi debent de principio remoto, similiter quando dicunt Spiritum oriri à Patre possent intelligi de principio remoto, quod falsum est & Hereticum. Præterea sequeretur etiam Spiritum Sanctum procedere per intellectionem, nam intellectio est radix volitionis ergo, si sufficit principium radicale Paternitatis, ut Verbum producat per intellectum, Spiritus etiam Sanctus procedet per intellectum. Denique Pater non produceret Filium ut causa vnioca atque aded non esset generans, non enim assimilatur sibi Filium in Paternitate agens enim vniocum assimilatur sibi passum in principio productiuo.

Neque soluitur difficultas si dicatur principium (quo) productiuum personalitatis esse solum personalitatem, principium autem (quo) communicatiuum essentiae esse ipsam intellectionem. Non soluitur (inquam) quia inter principium communicans, & subiectum communicatum, non minus debet esse distinctio, quàm inter principium productiuum, & terminum productum. Quis enim dixerit rationalitatem communicari posse ab animalitate. Præterquam quod essentia non communicatur nisi eo ipso quod produciatur personalitas identificata huic essentiae, ergo principium productiuum est etiam communicatiuum.

Assertio secunda quod non sit intellectio cum relatione.

Dico secundo, principium (quo) in diuinis non est intellectio simul cum relatione, ita ut ambæ simul concurrant, contra Valent. quæst. 5. part. 2. Ruiz disp. 100. sect. 4. Arrubalem & alios.

Ratio est quia tam implicat ut principium inadæquatum sit indistinctum à termino producto, quàm principium adæquatum; omnes enim rationes quæ probant principium adæquatum distingui, probant etiam distingui principium inadæquatum; tam enim debet esse prius termino quàm principium adæquatum, ergo si principium inadæquatum sit indistinctum à termino, terminus erit prior se ipso, sed ideò negas principium adæquatum Verbi esse intellectionem, quia intellectio non distinguitur à Verbo, ergo propter eandem rationem, non potest esse principium inadæquatum.

Confirmat. euidenter ex Concilio Florentino ubi Ioannes Theologus sess. 18. disputans contra Græcos ait: *Principium (quo) persona diuina generat esse illud solum quod communicabile est.* Sed personalitas

Tom. I.

personæ producentis non est aliquid communicabile: igitur non est principium (quo.)

Dico tertio, principium (quo) productiuum personalitatis est sola intellectio, & volitio prout connotat in obliquo relationem ut puram conditionem non autem ut comprincipium. Ita S. Thom. quæst. 41. art. 5. Thomistaque omnes & Scotus in primum distin. 7. quos sequuntur Molina, Suares, Granadus, Tannerius, Zuniga, neque Vasques aliter sentit, licet videatur aliter loqui.

Ratio est quia, ex scripturis, Conciliis, & Patribus habemus Verbum nasci ex memoria fecunda Patris, esse sapientiam, esse prolem memoriæ, hoc autem est duntaxat Verbum nasci ex intellectione: apertèque habetur in citato loco Concilij Florentini, & repetitur sess. 24. Probatur autem, quia si principium productiuum in diuinis non est sola relatio, ut probaui, neque intellectio simul, & relatio, neque sola etiam intellectio quæ tribus personis communis est, sequitur quod intellectio prout connotans relationem Patris siue prout est in Patre, & identificata eius proprietati, est potentia generatiua, & volitio prout identificatur personæ Patris, & Filij est potentia spiratiua.

Confirmat. quia, illud solum in diuinis est principium fecundum quod est communicabile sed sola essentia est communicabilis non autem relatio, ergo illa sola est principium fecundum.

Ad primam variè responderi video à Doctoribus, primò enim, aliqui dicunt cum Vasque satis esse principium illud (quo) secundum ea quæ dicit in obliquo distinguatur à termino producto. Sed hoc est difficile quia, secundum id distingui debet principium (quo) secundum quod agit, & producit terminum, sed ex dictis sola intellectio producit terminum, obliquum autem illud conditio tantum est, ergo non sufficit quod illud obliquum distinguatur. Secundò, Arriaga disp. 45. sect. 3. Respondet quod potest etiam in creatis aliquid producere se ipsum modò supponatur prius existens, & modo detur actio aliqua quæ distinguatur à re producta, cum ergo intellectio præsupponatur prius existens in Patre, quare non poterit producere filiationem sibi omnino identificatam. Hæc etiam responsio difficilis est, quia ex ea videtur sequi quod persona producens non debet distingui à persona producta semper enim manet argumentum si principium (quo) non est distinctum à termino producto, quare magis distinctum debet esse principium (quod) imò si principium (quo) non est distinctum quare processio actiua distincta erit, nam etiam actio prius existens producere potest se ipsam.

Respondeo igitur distinguendo illam maiorem principium productiuum (quo) debet distingui realiter à persona producta, si principium illud (quo) identificetur cum actione quæ distinguitur à persona producta, nego: si non identificetur cum actione distincta à persona producta, concedo: nam principium producens eo ipso quod identificatur rei distinctæ omnino æquiualeat rei distinctæ, ideòque quatenus æquiualeat rei distinctæ à termino producto potest producere terminum cum quo identificatur præsertim si præsupponatur præexistens. Intellectio est quidem identificata filiationi, sed potest illam producere, quia identificatur paternitati distinctæ à filiatione, quæ paternitas est actio productiua filiationis: non potest autem intellectio realiter producere paternitatem cum qua identificatur, quia non identificatur cum vllò distincto à Paternitate, quod esse possit origo Paternitatis. Potest itaque dari potentia productiua sui ipsius modò sit identificata actioni realiter distinctæ à termino producto, Vnde.

Aa 2 Ad

Assertio tertia sola intellectio & volitio est principium quo

Potentia productiua ipsius.

Vera responsio.

Solutio
probatio-
num.

Ad probationem distinguitur antecedens, tota ratio cur inter personas diuinas dicatur esse oppositio, est quia una producit aliam, ut principium (quod) concedo, ut principium (quo) n. go. Ratio disparitatis est quia principium quod non identificatur cum illo quod distinctum sit realiter à termino producto; principium autem (quo) quamuis non distinguatur realiter à termino producto, est tamen identificatum cum aliquo quod distinguitur realiter à termino producto. Nego igitur omnes rationes quæ probant principium (quod) esse distinctum, probare quod distinctum etiam sit principium (quo) terminus enim productus non opponitur principio (quo) sed tantum principio (quod) quia principium (quo) licet indistinctum realiter, identificatur tamen alicui distincto, id est est virtualiter multiplex: principium autem quod si non esset distinctum realiter, non identificaretur cum actione distincta realiter à termino: quia principium (quo) includit principium & actionem.

Instantia.

Instabis ubi est oppositio ibi est distinctio, sed non minus est oppositio inter principium (quo) & terminum, quam inter principium (quod) & terminum, cum tota oppositio fundetur in productione.

Resp. totam oppositionem fundari in productione principij (quod) quia illud includit ipsam productionem, non autem in productione principij (quo) quia illud præcendit à productione; sumitur enim præcisè ut principium. Nego igitur principium (quo) habere relationem ad terminum cum quo identificatur, eiusdem enim ad se ipsum non est relatio, sed sufficit quod identificetur cum aliquo habente relationem; quidquid enim producit vel habet relationem, vel identificatur alicui habenti relationem.

Concludo itaque, totam solutionem in hoc consistere quod necesse sit principium productuum terminari, quodcumque illud sit, siue (quo) siue (quod) distinguatur à termino producto, si non identificetur cum actione distincta à termino producto, quia tunc illud principium non erit virtualiter multiplex neque habebit aliquid in quo posset fundari oppositio & distinctio si autem principium (quo) identificetur actioni distincta à termino producto non necessarium est distinctum quia est multiplex virtualiter & sufficienter præsupponitur termino producto.

Ad secundam Resp. intellectionem non posse realiter producere paternitatem, quia intellectio non identificatur cum actione illa quæ posset esse productiua paternitatis, sicut identificatur cum aliquo quod producit filiationem tanquam vera eius origo. Ad confirmat. nego rationes omnes quæ probant originem actiuam distinguatur à termino, probare quod principium (quo) distinguatur à termino. Nam origo actiua id est distinguitur à termino quia est constitutiua personæ distinctæ realiter à termino, principium autem (quo) non est constitutiuum.

Ad tertiam Resp. intellectionem solitarie sumptam non esse principium (quo) sed intellectionem prout connotat in obliquo relationem ut conditionem, seu intellectionem prout est in patre, quemadmodum si calor idem esset in duplici igne quorum alter Lugduni approximatus esset stupæ alter autem Romæ non esset illi approximatus, certe ille calor prout connotaret Lugduni stupam proximam, combureret & Romæ non combureret ex defectu proximitatis. In quo sensu à Doctoribus dici solet, quod intellectio specificatiue essentialis, scilicet, illa quæ essentialis est, reduplicatiue ut notionalis est productiua, id est prout propria est propter connotationem relationis, quia intellectio notionalis est ipsa intellectio essentialis, prout determinata per relationem tanquam conditionem sine qua non est propria. Ratio autem cur intellectio prout connotans relationem possit esse pro-

pria vnius personæ, non autem omnipotentia prout connotans relationem, est quia principium productiui ad intra cum sit productiui personæ productæ, non potest conuenire personæ productæ, id est quæ potest connotare relationem personæ producentis ut conditionem. At verò principium productiui ad extra cum non sit productiui personæ diuinæ, nulla est ratio cur non conueniat omnibus personis, atque adeo cur connotet unam relationem potius quam aliam, & hæc est ratio, cur intellectio, & volitio possint esse notionales, non autem omnipotentia.

Ad quartam Resp. sufficere ut agens agat actione, non esse necesse ut agat ipsam actionem, quod admittere in creatis necessario debent omnes qui dicunt actionem esse in ipso agente. Deinde dico prorsus sufficere ut actio sit saltem virtualiter à principio quod realiter producit terminum: relatio autem paternitatis virtualiter producit ab intellectione.

Solutio
quartæ.

SECTIO V.

Ex quarum rerum cognitione, vel amore procedant Verbum, & Spiritus Sanctus.

Posito quod cognitio sit principium formale productiui Verbi, & amor principium productiui Spiritus Sancti, controuersia inter Theologos celeberrima est, de obiecto ad quod terminatur formaliter, & per se cognitio illa prout est productiua Verbi, & amor prout producit Spiritum Sanctum; cum enim cognitio illa identice terminetur ad omnia tum increata, tum creata merito queritur utrum Verbum producat ex cognitione prout formaliter tendit in essentiam, personas, & creaturas omnes, tum possibiles, tum etiam futuras, & existentes. Primò, ergo disputandum est de cognitione omnium quæ sunt in Deo. Secundò, de cognitione creaturarum. Quod idem de amore respectu Spiritus Sancti debet dici.

Status con-
trouersia.

S. I.

Utrum Verbum diuinum producat per cognitionem omnium eorum quæ sunt in Deo.

EX cognitione nimirum essentiae attributorum, & personalitatum, atque adeo ex cognitione sui ipsius, & Spiritus Sancti; hæc enim omnia sunt in Deo.

Ratio autem dubit. primò est, quomodo Verbum procedere possit ex cognitione sui ipsius & Spiritus Sancti, quin sit posterius & se ipso & Spiritu Sancto.

Secundò, si Verbum procederet ex cognitione Spiritus Sancti sequeretur quod Verbum procederet à Spiritu Sancto; quod enim procedit à cognitione procedit etiam à principio cognitionis, Verbum procedit à cognitione Spiritus Sancti, ergo procedit à Spiritu Sancto qui est principium huius cognitionis.

Tertiò, sequeretur Verbum esse imaginem Spiritus Sancti; repræsenteret enim Spiritum Sanctum & eius cognitionem.

Dico primò, Verbum diuinum procedit per se formaliter ex cognitione perfectissima, & comprehensiuum totius essentiae diuinæ omniumque attributorum.

Hæc conclusio quatenus asserit Verbum procedere ex cognitione totius essentiae ac attributorum aduersarium habet neminem, quia si Verbum procedit ex cognitione alicuius obiecti certe procedit ex cognitione obiecti perfectissimi quod est essentia, quatenus autem docet Verbum procedere ex cognitione adæquata & comprehensiuum fundamentum est omnium dicendorum, id est quæ.

Probatur primò quia, Verbum diuinum procedit ex cognitione omnium perfectissima, & quæ non potest

vlla